



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

LX. Partus item fortunatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

Mariam Hieronymi Barardi vxorem Maioricæ partus difficultas iam quatriduum cruciabat, & cum medicis obstetrix, actum de illa censuerat quoddam vires iacenti deessent, ad fœtum mortuum expellendum. Afferrunt ad illam sanctorum reliquiæ, & in iis brachium S. Leonardi, ad emendandam illorum gratiam, sed hanc Deus S. Ignatij gloriæ cedere voluit: inferente sermone nescio quo de fortunatis ab S. Ignatio partibus, accersuntur mox è Collegio aliquæ illius reliquiæ, quas cum religioso affectu sibi imposuisset parturiens, mortuam post paulum eiecit puellam, conglobato, & putri iam corpore, ex quo tamen vtroque nihil planè accepit detrimenti.

Mirabilius aliud Carpentoracti in comitatu Veniesino factum. Matronam nobilem, diuturni iam partus torquebant dolores cum manifesto viræ discrimine: agebatur dies S. Ignatij quem canonicus, iacentis cognatus, piè veneraturus collegij templum adierat. Illic forte oculos coniecit in votiuam ex partu tabulam, visus sibi est doceri cœlitus de ferendo, cognatæ remedio: ad eam accurrit, iubet illi suo nomine inculcari, vt spem suam omnem in S. Ignatij precibus locaret: morem gessit suadenti, & peperit, sed deformem, monstrosum, sine sensu, ac motu fœtum, nec satis liquido sacri fontis capacem. Fore tamen haudquaquam mutilam S. Ignatij gratiam, confusus canonicus, qui nostrum in templum reuertebat, sed æquè filio vt matri liberalem; per se ac nostros precando urgebat, vt beneficio materno infantis sanitas cumulum adderet; cum adest lætus qui domo nunciat insperato reuiuiscere infantem, & incertum quo modo pulchellum euasisse. Ita preces gratulatio excepit, & pij canonici aduersus S. Ignatium mirè reuicit religiosa fiducia. Foret mihi scriptu difficile periculosos partus numerare quos S. Ignatius suo beneficio fortunauit, & parentes quibus liberos impetrauit, vtrunque Deo magnificè serui sui gloriam propagante. Habuit vrbes quædam vel ab eo subscripta literis chirographa, vel ex eius reliquiis aliquid, quod in occasiones huiusmodi fere perpetuo circumfertur, cum manifesto, & prodigioso diuinæ opis auxilio.

Leccij anno 1594. Patientiæ Simonæ ancilla crudelem in modum, ex renentum incendio torquebatur, excreabatque iam triduo cum pure sanguinem; his acuta interuenit Febris qua in delirium, & in extrema redacta est: iamque illi funebria parabantur, cum heræ succurrit experiri S. Ignatij preces, & merita, detractis sibi eius reliquiis frontem, & pectus ægrotae consignat, fufisque pro illa ad sanctum precibus lecto reliquias appendit. Post quæ in somnum, quo pridem caruerat ægrota soluitur, videtque in somnis venerabili aspectu virum è Societate, à quo iubetur valetudinem à Deo postulare, futurumque omnino, vt eam reciperet. Fecit, vt poterat quod imperabatur: at intulit sanctus; heram tuam moneto, vt de mea veste quod tenet in serinio frustulum reuidentius habeat. His occupatam audiendis cernendisque excitauit conserua, negotioli cuiuspiam causa, cui

LX.

Partus item fortunatus.

LXII.

Mirabilis precedentis.

LXII.

Moribunda S. Ignatij viso sanatur.